

cultorem, qui ea loca incolebat, ubi in hostium potestatem 1097  
venisset, partim suppliciorum metu Christi fidem abnegare  
coactum, partim ferro, igni, aliisque cruciamentorum ge-  
neribus, quia in antiqua perstaret religione, consumptum:  
sanctissimas foeminas ex tota ferme Europa ad ea loca per-  
egre profectas, non tam ad insolentissimi hostis libidinem  
explendam, quam ad nostrum dedecus monstrosis concubiti-  
bus vexatas. Quod si ea quæ audivissent, parum digna vi-  
derentur, cur quisquam ad eam injuriam ulciscendam vel-  
let temere accedere; illud saltem animis succurreret, illud  
memoria repeterent, quam brevi tempore Asiaticæ opes suo-  
rum majorum ignavia crevissent: quam præterea longe la-  
teque impia Mahomethi arma vagari cœpissent: quantum  
telluris, quod olim Romani fuisse imperii, eorum esset di-  
tionis factum. Sed utinam, inquit, ea conditione, eoque  
statu Christianæ res essent, ut aliena tantum damna flere  
deberemus! Italiam nostra tempestate, fœda eorum popu-  
latione deformatam vidimus, arces, urbes, templa, sacri-  
legis manibus & direpta & incensa. Sed quid ego cœdes,  
quid vincula, quid stupra, quid alia pene inaudita mala  
refero, quæ per multos annos ipsa terra perpessa est: quum  
Hispania quoque, & illi contigua Aquitania, atque omnes  
gentes, quæ ad occidentem solem vergunt, eandem cladem  
non solum senserint, sed vix bene abstersis lachrymis, adhuc  
reformident? Vos Galli, inquit, et si vulnus vestris visce-  
ribus nondum est adactum, propinquitate tamen locorum  
hæc, quæ diximus, non audire solum, sed videre etiam potui-  
stis. Germani, & alii ad septentrionem repositi, quos hæc  
clades non attigit, identidem cogitare debebunt, quale in-  
cendium sibi ab ortu & aquilone oriatur, immo quam vi-  
cino loco jampridem eluceat. Quod nisi Veneti essent, qui  
Superi maris oram præsidio tuentur, quorum opibus ex Hi-  
striæ Dalmatiæque littoribus sèpius infestissimus hostis est re-  
pulsus, nescio an ad hunc diem in Pannionam quoque Ger-  
maniamque fœda illa tempestas transcendisset. Constantino-  
politani imperii opes, quæ pro munimento quodam ad bo-  
ream & eurum adversus impios hostes dum vigebant, Eu-